



Misc. 6<sup>o</sup> Q.

Kat. Misc. I, 63.

50  
24.  
88

DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

DE

# CIRCVMSPCTIONE HAERE-SILOGICA:

QVAM

PRAESENTE

VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,  
ATQVE DOCTISSIMO,

SIGISM. IACOB. BAVMGARTEN.

S. S. THEOL. DOCT. ET. PROFESS. PVBL. ORDIN. NEC NON SEMINARI  
THEOLOG. DIRECTORE:

PATRONO ET PRAECEPTORE, OMNI PIETATIS HONORIS-  
QUE CVLTV AETATEM PROSEQVENDO,

D. SEPT. A. C. MDCCXXXIV.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIECIT  
HORA LOCOQUE CONSVETO,

AVCTOR

IOANNES ANDREAS THAL

PALAEO - BRANDENBURGENSIS

M. M. S. S. THEOL. CVLT.



HALAE MAGDEBURGICAE

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR. 1754.

DISSERTATIO THEOLOGICO-MECOLOGICA

DE

CHRISTIANISATIONE HVERE  
SIGLOGICAE.

ALIO SUMMIS NEGERENDO, EXCELENTEMO  
ALLEGOCIBUSMO

SIGISTI IACOB RAMONARTINI

THEOLOGO, DILECTO DEI ET LIBERATORIS SEMINARI

CHARONIS ET IRADITIONIS, OMNIS THERETICUS HONORIS  
QD CAVTA A HABITATUM ET PRAEGETO

PACIDO ERADICATIONE TZAVMINI SABECIT  
HOMINIS INTEGRITATIS

JOANNES VANDRHARTHAL

ITALIO-SVAMBERGENSIS

ANNO MDCCLXVII  
TYPIS JOANNIS CHRISTIANI HILDEBRANDI VADENSIAE

VIRIS.

EXCELLENTISSIMIS. CONSULTISSIMIS. AMPLIS-  
SIMIS. SPECTATISSIMIS. DOMINIS.

DOMINIS.

REIPUBLICAE. BRANDENBURGENSIS.

DIRECTORIBVS.

CONSULIBVS.

SYNDICIS.

CAMERARIIS.

OMNIQUE.

SENATORVM.

RELIQVO. CONSESSVI. DEVENERANDO.

PATRIBVS. PATRIAЕ. OPTIMIS.

OMNI. OBSERVANTIAE. PIETATISQUE.

CVLTV. CONDECORANDIS.

OB. MVLTA.

IN. SE. SVOSQVE. COLLATA.  
PROPENSAE. VOLVNTATIS.  
TESTIMONIA.

CVM.

SALVTIS. OMNIGENAE. VITAE. LONGAEVAE.  
FELICITATIS. PERPETVAE.

VOTO. PIO.

SPECIMEN. HOC. ACAMICVM.  
ANIMO. BENEFICIORVM.  
NON. IMMEMORI.

D. D. D.

TANTORVM. TAMQVE. AMPLISSIMORVM.  
NOMINVM.

CVLTOR DEVOTISSIMVS.

AVCTOR.



## PROOEMIVM.

**E**t si satis arduam rem, quod Tu maxime non ignoras L. B., nos molitos esse sentimus; bene tamen multis rationibus, cum iussu eorum, quibus honorem, debitumque obsequium praestare nobis semper solemne fuit, de dissertationis materia, eruditorum examini subiiciendae, cogitare deberemus, praelentis tractationis argumentum sese commendauit, quarum saltem aliquas Te ignorare nolumus. Non multis forsitan opus erit argumentis, ad persuadendum L. B. insignes fructus, qui ex singulari in examinandis haeresibus adhibita circumspectione, ad omnes fere redundant, animum nostrum ad hanc disquisitionem suscipiendam, maxime impulisse. Ingenti praeterea scriptorum numero abundantes, quae nobis nihil, nisi haereses, et Haereticos nominant, maximarumque dissidiorum atque

A

con-

contentionum ansam praebuerunt; haud superuacaneum laborem patraturi nobis visi sumus, si quid in iis a vero potissimum, et circumspecto abhorreat, pro virium imbecillitate, sollicite explanaremus. Neque tamen id nobis sumsimus, vt de eorundem laboribus qui nouissimis forte temporibus inclaruerunt, temere statuamus. Scientes, volentesque haec tacuimus: circumspectionis nostrae id esse iudicantes. Nemo nobis hoc iure vitio vertere poterit. Ita enim singulorum vitia, melius detegi posse censuimus, quo minus, nominando quosdam, fauere aliis eosque approbare visi fuerimus. Ne tamen rebus ipsis exempla defensent, veterum Haeresiologis vni sumus: et quae omnium suffragio vera sunt adduximus. Ceterum tribus optime sectionibus, totam disquisitionem absolui posse putauimus. In prima §. I-VII. in genere, post terminorum explicationem, de circumspectione haeresiologica diximus. Secunda §. VII-XXV. partem Haeresiologie primam, narrationem scilicet, ad ductis circumspectionis regulis sistet. Tertia denique §. XXV. vsque ad finem, circumspectionem in diiudicatione, altera parte Haeresiologie, exponet. Regulis denique consecataria quaedam adiecimus, non ut perspicacioribus ingenii, quibus illa forsitan leuia videbuntur; sed partim nobismet ipsis, partim aliis, quibus haec forte non ingrata erunt, inseruimus. Haec Te scire voluimus, L. B: quod reliquum est cum fulmonensi abs te petimus.

*Du veniam scriptis, quorum non gloria nobis  
Caussa, sed utilitas, officiumque fuit.*

-pol

§. I.

## §. I.

**Q**ui diuersa ciuitatis nostrae Christianae fata, annalibus suis, Introit⁹ paribusque aeternitati monumentis egregie illustrarunt, viri omni praedicatione maiores, in iiii merito suo ultim⁹ loco ponendi non sunt, qui in exponendis erroribus, quibus agitata diu multumque Ecclesia fuit, diligentiam suam, operamque collocarunt debitam. Non defuerunt omni aeuo praeclera eiusmodi ingenia, qui hac in parte bene de posteris mereri sategerunt. Primis iam ecclesiae doctoribus, quos Patres appellant, deneganda merita sua non sunt: neque temporis successu neglectum penitus ac incultum iacuit Haeresiologiae studium. In tot tantis, que autem rerum gestarum monumentis, diuersa semper admodum ratione, pro diuersa scilicet, quam sibi quisque effinxerat, Haeresiologiae notione, quemque suum praestitisse manifestum est atque apertum. Quare iamiam nobis circumspetionem haeresiologicam commonstratur in ipso statim limine sollicite prouidendum erit, ut determinatis vocum significationibus omni, siquid in nobis est, ambiguitati obuiam procedamus.

Sensit idem illud iam olim Augustinus cum magna illam Philastrium inter et Epiphantium famosissimos antiquitatis Haeresiologos diversitatem animaduerteret. Quare inde in Catal. haerf. ad *Quod vult deum* ita inquit. Cum ambo illi id vellent facere, quod a me petis, quantum tamen inter se differant de numero interim sectarum vides! quod vtique non euenerit nisi aliud vni eorum videretur Haeresis et aliud alteri,

## §. II.

Duplex autem omnis fere Haeresiologiae genus est ex dī. Quid sit Haeresis, vocis haereseos vel late vel stricte sumtae significatione resiologia latum. Vno igitur significatu latiori, narratione et diiudicatio- nis dicta.

ne, errorum de cultu Dei, Haeresiologia absolutitur. Etymologiam vocis si species graecae originis est, descendens a vocabulis *aigesis* et *λόγος*, ipsaque hac Etymologia, et vsu loquendi dubibus in genere est omnis expositio haeresium. Quare opere pretium patrabimus, varium huius vocis usum antea disquilituri. Variis tum profanorum tum sacrorum scriptorum testimonis, vocabulum hoc *τοῖς μέροις*, ut aiunt, anumerandum esse, probari potest. Significatu

## 4 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

catu enim primo ex ipsa Etymologia enato, haeresis denotat arbitrium, seu obiecti cuiusdam electionem ex pluribus aliis possibilibus. Haud infrequenter hoc sensu *αἵρετος* Aristotel est, qui facultate eligendi vltur: parique ratione adhibitam vocem *τι Macc. VIII. 30.* deprehendimus. Ex patribus solus prodeat *Chrysostomus*, qui lib. de Virgin. illud, qui, capere potest, capiat, inquit, (Matth. XIX.) liberam facientis auditori optionem est (*αἵρεσις νοεῖσθαι αἵρετην ποιεῖσθαι*). Alius, qui huic sequitur, vocis sensu paulo strictior est, cum sententias seu doctrinas electionem, quam quidem, pothabitis reliquis omnibus, sequimur, indicat, siue bona siue mala. Obserue hic sensu *Aetor. XXVIII. 2.* vbi Iudaei sanctiorem Euangelii doctrinam audituri, Apostolum rogant, vt ipsis hanc *αἵρεσιν* exponat. conf. Cap. XXVI. 5. Simili quoque ratione linguae romanae facile princeps *Cicerio* cum praef. paradox. Catonom in ea haeresi esse, diceret, nihil aliud, quam hanc ipsum profiteri sententiam, indicare voluit. Significatu denique strictissimo et ecclesiastico, quietiam temporis successu inualuit, sententiae religiosae et quidem cum notione annexa falsitatis ac prauitatis eiusdem electione haeresis vocari occoepit. Malo hoc sensu in ipso s. codice prauis contentionis habitus Gal. V. 20. 1 Cor. XI. 19. 2 Pet. II. 1. etc *αἵρεσις* nomine insignitur. His forsan inducti locis patres omnem a christiana doctrina diuersam credendi condicione rationem Haereticorum vocarunt. Saepius hoc sensu in proprio tam et late omnes verae religionis expertes, Haereticum sunt, vt pagani, Iudei, et, qui ad eos transeunt, Apostatae. *Tertull.* de praesc. aduers. haeret. c. XXXVII. *Cod. Justin.* lib. I. tit. VII. *Balsamon* ad Canon. XIV. conc. Chaled. etc etc. Inde diuersum quoque profectum esse Haeresiologiae genus, admirandum ita non est. Stricto enim et proprio sensu Haereticus est error, quo quis, Christum ceteroquin professus, a vera doctrina diuinitus in scriptura reuelata de Deo et nostra cum ipso coniunctione discedit pertinaciter. Subiectum autem, in quo illa deprehenditur, est Haereticus. Tres igitur notae characteristicas hic adsumimus. Prima desumpta est a subiecto, homine qui ceteroquin Christum proficitur, adeoque totam in S. S. relationem agnoscit, et ita distinguimus Haereticum ab infidelib, consequenter haereticus ille membrum ecclesiae visibilis est, licet verae iure esse nequeat Matth. XIII. 25. 1 Cor. XI. 9. 1 Job. II. 19. Altera haereseos nota ab obiecto derivatur, veritatibus hisce reuelatis opposita sententia, seu errore hic quidem theologico. Ergo etiam inde diuidatio haereseos non ex aliis principiis, quam ex S. S. petit, proficiuntur debet; non sufficit enim dissensus a libris ecclesiae cuiusdam peculiariis symbolicis, ad haereticum in genere

## DE CIRCUMSPECTIONE HAERESIOLOGICA. 5

nere constituendam, id quod tamen a pontificis usum firmari plerumque solet. Denique, si formam spectes, accedere debet pertinacia, i. e. defendi debet error posita occasione convictionis de contrario; inde quoque *Augustinus* errare potero, inquit, haereticus tamen non ero. Quisque autem possibiliter illam de contrario convictionem respuit, erroremque nihilominus defendit ac disseminare studet, manet *autonata* *angustos* *tit.* III. 10. 11.  
2. *Petr.* II. 1. *Cod. lib.* I. *tit.* I. de summa trinitate et fide catholica L.  
cunctos, *Phortius* in *Nomocan.* tit. XII. c. 2.

### S. III.

Ex adaequata igitur et propria hac haereseos notione §. II. *Defin. Haere-*  
*alterum genus Haeresiologiae strictius dictae proficiscitur. Eſt* *secul. strictius*  
*igitur nobis Haeresiologia narratio et diiudicatio errorum, quibus* *dictae.*  
*sectae Christum professae a vera doctrina dinuntius reuelata de*  
*Deo et nostra cum ipso coniunctione, discesserunt.*

Vocem erroris de obiecto Haeresiologiae usurpare malum, quam ipsum terminum haereseos. Sensu enim stricto integrum sectam, subiectum haeticam dicere vix poteris: ubi enim pertinaciam in omnia membra cadere certo affirmare nequeas, illis omnibus haereseos notam innure per defin. Haereseos §. I. prohiberis. Multiplex autem est ipsius huius distinctionis Haeresiologiae futurae tractationi usus; cuius rei exemplum cum aliquor inde fluentibus consecutari dabimus: (1) E. Haeresiologiam hanc ingredi nequeunt errores individuorum. Sint enim illi adeo periculosi, ut periculiosiores cogitari nequeant; sint magno ecclesiae detrimento, siquidem inde Haeresis enascitur, si affectae accendant, vsque dum tamen manebunt errores priuati, vsque dum affectarum coetu confirmati nondum fuerint; Haeresiologum errores sectarum enarrantem occupare non debent. (2) E. etiam infidelium et schismaticorum errores in hac Haeresiologia desiderari nequeunt. Schismatics enim reuelationi nostrae subscribit quidem, errat tamen non nisi in rebus cultum Dei externum concernentibus, affirmata necessitate separationis externae ab ecclesia: E. haeticus proprius dictus non est, licet hoc differens saepius in antiquioribus Haeresiologijs, et ab ipsis patribus ecclesiasticis neglectum sit vid. Can. VI. concilii Constant. Infidelium autem errores eodem modo Haeresiologiae inferendos non esse ex §. 2. vel nobis non monetibus patebit. (3) Multo minus denique Haeresiologiae res esse poterit cum iis, quae ad cultus Dei essentialia et ordinem salutis non pertinent, cum eadem illae res ad defin. §. 2. referri nullo modo possint. Impingeret igitur in huius definitionem, qui e. g. vel errorum *Peyrieris*, cum praeadamitas suos in scenam pro-

A 3

duce-



## DISSESSATIO THEOLOGICO-HISTORICA

duceret in system. Theol. ex Praeadamit, hypothesi, aut *Dodvelli* immortalitatem animae impii negantis, ad Haeresiologiam referret p. confess. I. vel etiam qui schisma illud paschale Seculo II. ortum; aut cum *Epiphano* ita in Haeresiologis versaretur, ut, scutu ille fecerat ad impletum forte LXXX, haeresium numerum in Panar. lib. I. sect. I. haereses inde a primis rerum originibus repetitas et in primis *Barbarismum*, *Syrticisim*, *Hellenismum* et *Iudaismum* forte ex malo intellecto loco Colof. III. I. nominare veler per Confess. II. vel denique cum *Philastrio* tantum sibi sumeret, ut illos ipsos, qui esse Cometas affirmant, Haereticis annumerandos iudicaret.

### S. IV.

Vsum praefat haec Haeresiologia, habita ratione finis eiusdem et nexus cum aliis doctrinis, locupletissimum. Ut de fine primum dicamus, ille vel generalis vel specialis in Haeresiologia esse potest. Quodsi enim eam ut Historiam in genere spectes; eius ope notabiliorum inter homines gestarum rerum, certa cognitione, prouidam Dei curam in augendis sui regni commodis, hominum autem diuersam indolem exemplis et quasi in speculo repraesentatam non sine magno nostro emolumento intuemur. Specialius autem sufficientem eiusmodi errorum, quibus diu multumque vexatus fuit sacer Christi coetus, cognitionem nobis subministrare debet. Neque minus, quod alterum est, arcte Haeresiologia cum aliis doctrinis, Historias in primis Ecclesiasticae, Theologiae quoque, tum Polemicae, tum Dogmaticae, tum Pastoralis etiam, amicoque vinculo cohaerer. Historiam quidem Eccles. quam quidem nemo certe negligere deberet, eadem haec Haeresiologia adiuuat, ut nonsolum illa sine hac integra et completa, generatim spectata, tractari nequeat, sed tot Synodorum Conciliorumque etiam crebriores conuocationes, et restaurationis denique purioris doctrinae a contradicentium insultibus vicissitudines, nisi errorum, qui plerumque occasionem suppeditabant, notitia imbutus, concipere tibi satis clare plane non possis. Quantum autem incrementi omnis fere Theologia ex eadem accipiat, luculentissimis magis summorum Virorum testimonii, quam nostra tantum common- stra-

Vsus et finis  
Haeresiol.

## DE CIRCUMSPECTIONE HAERESIOLOGICA. 7

stratione adstruere malumus. Instar omnium nobis sit, quae  
S. V. PRAESES in elegantissimo libro, *Auszug der Kirchengesch.*  
ea, qua solet, profunditate de eodem hoc argumento disputauit  
l. c. §. 2. pag. 5. seqq. quorum ramen operosa repetitione hic su-  
persedere poterimus, cum dictus liber omnium manibus verse-  
tur. Consentit cum eodem CANZVS, qui in Vslb. Philos.  
LEIBN. et WOLF. in Theol. Tom. II. p. 33. haec haber. Inter  
causas, quibus suis perpetuo mancipantur erroribus miseri mor-  
tales, non obtinet postremum locum studium in contrariis do-  
ctrinis superficiarum, mancum, desultorium. Non dico de  
plebe rudi, cui ad salutem sufficit, absque dogmatum aduerso-  
rum operoso examine soli s. scripturae operam nauare, missa,  
quae et suscipi non potest a quolibet, haereses examinandi cura.  
Etiam si veritatis cum erroribus compositae cognitio magis ex-  
splendescat et summum concordat, caeteris paribus, conuictio-  
nis gradum. Loquor tantum de iis, quibus tanquam Ecclesiae  
luminibus id negotii datum intelligitur, ut aduersariorum opinio-  
nes penitus exploratas habeant, facta vtrorumque dogmatum  
comparatione, iudicium solidum, et iis, qui forte passim ex vul-  
go dubiis tentantur certissimam laturi opem conf. etiam §.  
50. P. 37.

Haec itaque singula si commodorum loco ponenda sunt, Quid nobis  
vt sunt omnino, ad efficiendam Haeresiologiae utilitatem iure suo sit circumspe-  
pertinebunt. Mirum tamen in modum fallunt fallunturque, etio haeresiol.  
qui egregios istos fructus cucunque Haeresiologiae tractationi  
tribuere et qualiacunque huic incomparabili fini §. IV. suffi-  
cientia esse media, animo secum cogitarent. Tantum enim  
abest, vt solidiori eorundem omnium cognitioni viam pandat,  
vt errorum potius foecunda mater fiat, nisi accedat eiusdem tra-  
ctationi, de qua dicturi sumus, circumspectio haeresiologica.  
Cum autem ille circumspectus esse censeatur, qui habitu delibe-  
randi circa actiones suas pollens, quid ad finem suum et media  
eundem legitime consequendum pertineat, quidue repugnet, sine  
praece-  
mbeatur



## Dissertatio Theologico-Historica

praecepit autem statuit; per princ. moral. ita hic quoque circumspetio[n]is haeresiologicae laudem meretur, qui eritata, quantum in viribus suis est, praecepit autem, de mediis ad finem §. IV. consequendum deliberandi habitui studebit. Cumque porro ad circumspetum omnium actionum tuarum rationem instituendam obligeris p. princ. moral. isthaec autem obligatio, ex grauitate utilitateque rei mirum in modum augeatur; Haeresiologiae autem neque sua grauitas neque utilitas desit §. IV, in eodem circumspectionem maxime non negligendam esse patebit.

### §. VI.

Necessitas et  
difficultas.

Demonstratur praeterea eadem haec circumspetio[n]is haeresiol. necessitas, tum ex ingenti, qua laboramus, scriptorum ab haereticis ipsis profectorum penuria, quae tamen omnia fere Haeresiologiae principia continere debent; tum etiam ex insufficientia earum, quae ad nos peruerterunt, relationum, quas manus admodum neque satis caute scriptas constar. Quod pri-  
mum spectat, enata ista, quam merito dolemus, proprietatum haereticorum scriptorum iactura ex variis rationibus, quarum aliquas adduxisse iuuabit, ut eo luculentius pateat, quam praecclare de litteratorum orbe mereantur, qui, superatis hisce difficultatibus, sufficientem nobiscum communicarunt Haeresiologiam. Non ultimo loco ponendus inconsideratus plerumque, orthodoxorum quorundam in delendis eiusmodi scriptis feruor. Illi enim vbi aliquem a recto veritatis tramite aberrantem, nouasque et erroneas sententias disseminantem cernerent, id sibi faciendum esse putarunt, ampliori forte post mortem auctoris propagationi obuiam trahi, ut scripta eiusdem Vulcano potius, quam posteritati sacra esse iuberent. Accessit huic rationi multorum haereticorum in obscuris locis delitescentium vita, quo factum est, ut aliis de errorum ratione sollicitis, ob nimiam, siue locorum, siue temporis etiam longinquitatem, certi quid de iis cognoscere non licuerit. Ad alterum autem, mancam scilicet scriptorum aliorum relationem quod attinet, tribuenda illa vel hisce scriptoribus ipsis est, vel aliis forte caussis. Primum enim eo-  
rundem

## DE CIRCUMSPECTIONE HAERESIOLOGICA. 9

rundem credulitas et partium studium, si plerosque summos in utraque republica honores tenuisse reputaueris, a quibus veritatem velut a iuratis testibus exigas, excusari vix potest. Auctoritate deinde, qua pollebant, sua, quoque prodefesse aliis debebant, ita plerumque abusi sunt, vt si qui fuerint maxime, qui rectiora, meliora scribere potuissent et voluissent, illi indignum suis nominibus rati, eosdem omnibus modis premere, detinere, haereticos interdum etiam vocare coepерint. Multi insuper haeresiarcharum, vt de peregrinis, quibus eorundem aliqui usi sunt, linguis taceam, quas tamen plurimi Orthodoxorum penitus ignorabant, tam insolito, tamque obscuro dicendi genere loqui maluerunt, vt humanitatis sensum superare, quam aliorum commodis inferire velle, viderentur. Desiderium, quo flagrabant, nouas sectas condendi, quibus adeo felices progressus exoptabant, ac de Christiana forte sentiebant, ad eiusmodi fatum plurimis ansam praebuit. Nihil autem aliud istis rebus effecerunt, nisi, vt aduersarios sese excitare et ad tot praeftigiarum, horrendorumque dogmatum confitacionem compellere, experientia erudirentur. Quod autem caput rei, disciplina denique arcani, quae apud eosdem fere omnes inualuit, sollicite cautum erat, vt ne ipsis quidem asseclis nisi initiatis et electis, ne dicam aliis, vera dogmata characteristicia innotescerent. Rebus ita nunc comparatis quam valde necessaria sit circumspectio, sana quemque ratio edocet; nisi forte fabulari magis et nugas agere, quam rem seriam narrare malueris.

Occurrerent forsitan sexcenta huic rei exempla, sed cum eorum plena sint omnia, MANICHÆISMU tantum historiam, quae hisce praeprimis naevios suos debet sortibus, nominabimus. Ut ipsis iam praetereamus, quae forte ab auctore huic sectae profectae sunt, ignorantiae nostrae, causas, scriptorum quoque potiorum, quorum fide tamen nitimur, adeo manifesta fuit credulitas et debitae circumspectio neglectio, vt iustae probationis loco vix haberi queant. Ipse SOCRATES, scriptor ceteroquin laude sua non priuandus, quidquid de MANICHÆISMO commemorat, ex admodum suspecto quadam libro ARCHELAI Episcopi CASCIARENsis, quem contra MANICHÆOS scriperat, defumissæ sese, sponte sua proficitur. Quam dubiae autem fidei iste auctor sit, vel inde sane colligitur,

B

quod

10. DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

quod tanta in MANETEM saecutia usus fuerat, ut MARCELLVM quendam, ad eundem clandestino impetu enecandum, impelleret. Eadem fere ratio in AVGSTINO deprehenditur, quem quidem sussi huius sectae alienam nouimus; cum tamen ad initatos non pertinuerit, ipse suam ignorantiam dissimulare noluit. Inde igitur tot effectus et fallas relationes profectas esse nemo forte mirabitur. Quid igitur? Haec omnia bona fide credamus? indigna certe haec esset prudentioribus credulitas. Nostra hic facimus verba, quae iudicio non carent C. CALVORII in praefat. filii Sionis, ita se habentia. Quidquid demum sit, adduci non possum ut credam, omnia vera et genuina esse, quae de extremis furoribus ac deliriis priscorum haereticorum scribantur; sed potius odia ac aemulaciones, partim credulitatem, quae famam saepissime mendacem incante pro Historia amplectitur, partim imperitiam esse, quae adeo tetra somnia quandoque affinxerint aliis.

§. VII.

De parte Ha-  
resiologiae  
Una narratio-  
ne.

His igitur, quae antea in genere monenda esse videbantur, praemisis; age nunc veniamus ad ipsam rem. Cum autem tota Haeresiologia duabus partibus narratione scilicet et diiudicatione absolui commode possit §. III. eundo per has partes singulas, circumspectionem in narratione primum, deinde etiam in diiudicatione adhibendam disputabimus. Deprehenditur autem duplex genus narrationis seu partis Haeresiologiae historicae. Vnum, quo continentur, quae immediate ad errorum constitutionem spectant: alterum quod, quae errore quidem immediate non spectant, ad narrationem tamen suis circumstantiis probabiliorē reddendam faciunt, complectitur. Illa nunc nominabimus partes narrationis in Haeresiologia essentiales; quae itaque ipsorum dogmatum sectarum, expositionem Historiam comprehendere debent: haec autem extraessentiales, cuius generis e. g. sectae auctor, propagatio, nomen etc. Atque haec quidem omnia cum finem Haeresiologiae, quoad partem primam, constituant, de mediis ad eundem obtinendum deliberandum erit. Inde igitur inchoabimus, vt, cum essentiales partes, momentum trahant maximum, earundem quoque consideratio antecedat extraessentialibus; in vitroque ramen negotio ita versabimur, vt primum obiectum ipsum breuiter forte expedienter, dum,

## DE CIRCUMSPECTIONE HAERESIOLOGICA. II

dum, et deinde formam regulis circumspetionis absoluendam disputemus.

### §. VIII.

Complexus dogmatum Theologicorum inter se legitime Obiect. *Hac-*  
*connexorum vocatur systema religionis.* Quatenus per idem resol. si par-  
distinguimus sectam ab omnibus aliis est *systema religionis cha-*  
*racteristicum.* E. omni sectae bene ordinatae competit *syste-*  
*ma religionis characteristicum oportet.* Quod si illud vnamini  
omnium consensu, seu eorum, quibus conuenit, auctoritate pro  
typo credendi docendique agnatum fuerit, *fides* vocatur *publica*,  
seu confessio etiam publica. Societas autem in fidem quan-  
dam publicam consentiens, ipsam *sectam*, *Ecclesiam visibilem*  
*peculiarem*, constituit. Inde igitur forte patebit, qualis narratio-  
num in Haeresiologia ratio esse debeat. Illa enim cum suffi-  
cientem potissimum errorum, quales §. I. desiderauimus, cogni-  
tionem intendat §. IV. et quidem qua partem primam histori-  
cam: Systemata autem characteristicæ et confessiones publicæ  
eundem in finem compositæ sint, vt inde typus docendi cre-  
dendique sectæ, etiam aliis pateat, consequenter iisdem omnium  
optime fidem habere possis; inde Systematum sectarum,  
characteristicorum confessionumque publicarum in enarratione,  
si modo fieri poterit, §. VI. habendam esse rationem, colligitur,

### §. IX.

Haec igitur vti dicta imprimis sunt de dogmatibus, vt aiunt, Continuatur.  
primi generis sistema characteristicum immediate spectantibus:  
ita etiam ab enarratione hac excludenda non sunt tum dogma-  
ta secundi generis dicta, seu hypotheses, quae veluti consepta-  
ria ex dogmatibus primi generis fluentia considerari possunt, tum  
etiam ipsi, quibus dogmata proponuntur, termini technici. Ho-  
rum quidem terminorum et hypothesis aliquae in dogmata  
ipsa fundamentalia influant, cuius generis vexatissimum illud  
*ομοσοις ανομοις* et *ομοιομοις* in Arianorum Semiarrianorumque  
errore vocabulum fuit, quorum itaque imprimis mentio fieri de-  
bet: aliae autem ita sunt comparatae, vt vel negari vel affirmari

12 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

salua fide possint, et has, cum exiguum trahant ad cognoscendum sistema momentum, pro cuiuscunque narrantis fine, sine circumspectionis Haeresiol, regularum laesione, vel praetermitti, vel commemorari posse, putamus. Si quis igitur in Haeresiologia e. gr. Manichaeorum satis notam sectam attingeret, dogma huius sectae illi commemorandum esset, duo esse principia semper opposita, quorum alterum lux et bonum, adeoque Deus; alterum tenebrae et malum, adeoque diabolus vocetur. Quodsi autem ulterius progreedi, neque hypotheses praeterire vellet, adducere posset; ex eorum mente principium unum tenebrarum in lege, alterum bonum in Euangelio loquutum esse, ideo duo esse testamenta inter se contraria.

Obiectum secundarium.

Quum autem, ad Haeresiologiam fini suo eo melius sufficienter efficiendam, extraessentiales etiam pertineant partes, seu circumstantiae rebus facti ad unam omnibus communes §. VII., ne haec quidem immerito in narratione dogmatum, tanquam res facti consideratorum, pro narrationis obiecto secundario habentur. Ad duo omnium optime referri poterit, quidquid istarum circumstantiarum Haeresiologia exponere debet; originem scilicet et propagationem. In originis expositione, tum auctoris, tum ipsius temporis ortus, tum nominis etiam et occasionis, mentio facienda erit. Vbi enim singula debita cautione enarraueris, multum inde lucis erroris ipsius Historiae offundi senties. Scilicet, auctore primum rite inuestigato, neminem forte falso pro auctore erroris habebis, qui tamen saepius inter homines nullo unquam seculo existit, vel saltem integer vitae scelerisque purus semper vixerit. Neque deinde in enarrando sectae nomine, vel effingendo nunquam auditam nomina; vel eadem a cordatissimis saepe mortalibus deriuando; vel in alia forte re allucinaberis; quod ab iis factum esse credimus, qui Exucontianorum sectam ab haeretico quadam Exucontio dictam, aut vixisse alium magnum haereticum nomine Kabbala, cuius sectatores inde Kabballistae nominentur, satis inepte commemorarunt. Occasionis autem

autem et temporis ortus, <sup>cauta</sup> inuestigatione, verendum tibi forte adeo non erit, ne vel in omnium errorum origine inde ab ipsis Apostolorum temporibus reperenda, quod a recentioribus quibusdam factum est; neque ex altera extrema parte, in concipiendo puriore prioris Ecclesiae statu, quam certe ipsa re fuit, aliorum censuram incurras; neque denique alia multa ignorabis, que te haecce omnia superuacanea et inutilia esse arbitrament non sine ipso tuo incommodo latebunt. Conf. ITTIG de Haeresiarch. acni Apostolici.

## §. XI.

Haec igitur dicenda de narrationis obiecto habuimus: ve- Forma nar- niendum nunc ad formam eiusdem, modumque secundum rationis. quem illa fini suo §. IV. conformiter institui debeat. Ista autem fere eo magis, principalis circumspecti Haeresiologi cura esto, quo certius omne illum tulisse punctum iudicamus, qui hac in re partes suas bene tuitus fuerit. Locupletissimam hanc materiam ut eo brevius absoluamus, paucis tantum regulis rem o- mnem, si quid iudicamus, complecti poterimus: quibus deinde, ad easdem eo melius vberiori applicationi aptas reddendas, aliquot consecaria adiungemus. Haeresiologia igitur cum sit pars, tum Historiae in genere, tum in specie etiam Ecclesiasticae, in Haeresiologum etiam, si partem spectes Haeresiologie pri- mam, cadant necesse est ea, quae ab Historico in genere requi- runtur Logicae regulis. Scilicet (1) veritas, (2) ordo, (3) suffi- cientia. Quare nemo nos iniquos esse iudicabit, tot regulis circumspetionem haeresiologicam circumscripturos.

## §. XII.

Reg. I. Veritas igitur prima Tibi regula esto: seu quod in- Reg. I.  
de fluit tua narratio neque falsi quid continere, neque veri prae-  
termittere deber. Etenim cum in Haeresiologia sufficientem er-  
rorum, quibus Christi sacer coetus diu multumque agitatus fuit,  
cognitionem intendere debeas §. VII. Cognitio autem vera, e-  
qua sibi ita obiecta praesentat, ut re ipsa facta sunt, longe an-  
teponenda semper falsae sint; huic præterea fini illa magis in-

14 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

Seruiat, quam haec, tibique conueniat, semper veritati, quantum in te est, studere per princ. moral; inde ad huius regulae normam instituere narrationem Haeresiologus obligatur. Age igitur, qua ratione veritatem conciliare tuae narrationi queas, videamus.

§. XIII.

Explicatur,

Veritas narrationis, qua talis, seu historica, nicitur assensu; quem propositioni ob testimonium alterius perhibes, i. e. fide, per princ. Logic. E. in testibus, seu personis actualitatem rei, quam testantur, quoconque modo cognitam habentibus, et coniunctione tua de vero sensu testimonii ipsorum, ratio deprehenditur, cur saltem externe quid verum aut falsum esse affirmas. E. in narratione quoque haeresiologica opus tibi erit (1) testibus sufficientibus, tam qualitatis, quam numeri ratione habita, (2) coniunctione de vero sensu testimonii, quod perhibent. Sufficientis autem testis est, qua qualitatem, si, tum dexteritate, seu sufficientibus ad cognoscendum proponendumque id, quod testatur, viribus; tum sinceritate, seu propensione etiam ad testanda, quae testanda nouit, instructus fuerit. Illud sufficientiam testium externam, hoc internam vocamus. Hæc itaque, si in omnibus hominibus vtraque deprehenderetur, nihil te impediret, quo minus omnibus fidem perhiberes. Cum autem testes mere humani defectu saepius, tam interno, quam externo laborent; consequenter eorundem testimonium saepius falsum, saepius verum esse possit, atque igitur saltem incertum sit; inde quibusdam regulis vti solemus, quas probabilitatis historicae nominamus, quae quidem summum veritatis gradum subministrare nequeunt, veritatem tamen moralem, quae hic sufficit, et cum obligatione ad assensum coniuncta est, producunt. Quare nostrum erit, quidquid iisdem praescribentibus, in circumspectum Haeresiologum cadat, brevibus ostendere. Cui tamen vberiori earundem explicatione opus est, ei librum acutissimi ingenii Mathematici cuiusdam Angli H. DITTON cuius versionem germanicam S. V. SOETTENIO acceptam ferimus sub titulo *Wahrheit der christlichen*

chen

*eben Religion aus der Auferstehung Christi p. 11. c. 6. seq. etiam  
atque etiam commendamus.*

## §. XIV.

Duplex autem genus probabilitatis Historiae deprehendi-  
tur. Excepta enim ea, quae a testibus proficiuntur, quam ex-  
ternam nominamus §. XIII; datur probabilitas interna, quae ori-  
tur ex rationibus in rei ipsis, seu subjecti notione contentis.  
Scilicet saepius circumstantiae rerum ita enarrantur, ut vel mu-  
tuo sibi inuicem, vel aliis veritatibus extra omnem dubii aleam  
positis contradicant, h. e. vel interne vel externe. Hanc igitur  
vbicanque obseruaueris vere contradictionem, cum impossibile  
fistat, probabilitatem omnem auferre, facile vides. Cum autem  
per se satis haec pateant; neque adeo verendum sit, ne quis for-  
te probabile esse censeat si e. g. febriculosi quidam monachi, vt  
commemoratum legimus, Nestorium sese suis oculis in inferno ia-  
centem vidisse, fabulentur, et quidem non ita procul ab Eutu-  
che, Apollinari, Ario et ipso infelici Origine, in horrendo quo-  
dam loco, qui tamen omnibus haereticis de B. Maria male sen-  
tientibus destinatus sit: incassum hic laborare nolumus, sed per-  
gimus potius ad regulas probabilitatis externae, e diuersitate te-  
stium, tum qua qualitatem, tum etiam qua dexteritatem, deri-  
uandas. De accurationi tamen singularum demonstratione, que  
neque huius loci est, parum erimus solliciti, rem potius vbi  
opus fuerit exemplis declaraturi.

## §. XV.

Primum igitur quod ad dexteritatem attinet testes (1) sunt De dexteritate  
a) vel simplices et plebeii, b) vel prudentes, et iudicandi acumi-  
ne instructi. In rebus igitur grauioris momenti, vbi iudicij acu-  
mine opus fuerit, prudentiores testes, ante ponendi sunt plebe-  
ii; e diuersa autem parte, horum testimonium, si scilicet asse-  
ctus suspicio adsit, et partium studio de altero metuis, saltem  
eandem meretur fidem, in rebus vbi non nisi sensuum ope in-  
diges, ob animum eiusmodi rebus assuetum, et a fictionibus,  
quae veritatis speciem prae se ferant, alienum; perspicacioribus  
faepe

## 16 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

Saepe ob consequentias, veritatem reticentibus. Saepius in hanc regulam impingere consueverunt e. g. orthodoxi, vbi in dijudicandis nonnullis dogmatibus erroneis; ad testimonium Anachoretarum prouocarent, qui tamen admodum tenui plerunque iudicandi acumine gaudebant. (2) Testes sunt a) vel domestici. e. sectae, de qua testantur addicti, vel non, extranei: b) vel oculati, si immediata sua experientia, vel auriti, si referentibus aliis rem, quam testantur, cognitam habent; c) vel coaeui, vel non, d) vel creduli, vel non, consequenter testis domesticus, oculatus, coaeuus, pariter etiam haud facile credulus; teste extraneo, aurito, (nisi satis tutam praefe habeat eorum, a quibus rem accepit, quod maxime inquiras auctoritatem) non coaeuo, in primis credulo et inter auritos et non coaeuos, qui non ita multo post factam rem vixerunt, iis, quos saepius aliquot seculis ab eadem remotos esse constat potiores sunt. Inde fit e. g. vt *Tertulliano* in relationibus de Montanistis, cum fuerit testis domesticus, coaeuus, oculatus, si dexteritatem respicias, maiorem fidem habere possis, quam *Apollonio* apud *Eusebium*, qui saepius inde veritatem negligit.

### §. XVI.

Sinceritas testimoniū.

Sinceritatem autem testimoniū cognitus, quod alterum est, ad voluntatem eorundem maxime attendas. Etenim, cum testimonium actio libera sit, in quibus te determinas ex motiuis, ex intuitu boni vel mali, cum actione tua coniuncti: agnatum autem bonum velle, agnatumque malum nolle, voluntatis sit per princ. psychol; sinceritas testimoniū in voluntate fundata comprehenditur. Occurrunt autem hic nobis testes (1) vel partium studiosi vel (2) nonnunquam etiam neutrarum partium (quantum scilicet ex narrationis circumstantiis concludere possis) seu candidi. Illi vel spe boni vel metu mali cuiuscunque utrumque generis sit, a veritate proferenda detinentur: his autem, veritatem omnibus rebus maiorem aestimare datum est. E. inquirendum tibi erit, utrum testes tui partium studio occupati, ex negata, vel relata veritate, bonum sperare, vel malum metuere potuerint;

an

an potius integratatis, et animi ab omni partium studio alieni laudem, apud vnumquemque alium mereantur. E. testimonium candidi antepone testimonio, quod a partium studio proficietur. Exemplum nobis ostendit *Chemnitius* in Exam. Conc. Trid. part. IV. p. 222. Quia *Epiphanius*, inquit, sicuti postea ostendemus, leges de temporibus ieiunii et de ciborum prohibitione ipse probauit, et ursit, ideo nec potuit, nec voluit *Montani* leges, sicut primitiva ecclesia fecerat, inter haereses referre, sed aliud ipsi tribuit et assingit, quod *Montanus* expresse negat. Haec igitur hactenus de qualitate testimoniis. In ponderando denique testimoniis numero, eorundem vel consensus vel dissensus animaduerti debet: (1) si igitur plures diuersi testes in vna eademque re vere dissentunt, ex utraque parte regularum supra adductarum applicatione euincendum erit, cuius testimonium sit probabilius habendum: quodsi autem in solis circumstantiis rem ipsam non mutantibus i. e. apparenter, sibi contradicerent, ipse hic eorundem dissensus ad confirmandam rei veritatem iure suo pertinebit; (2) consentientibus autem pluribus diuersae, tum seetae, tum aetatis, tum qualitatis hominibus (nisi forte, quod sedulo explorandum, uno eodemque alio testimonio communi usi fuerint singuli, pro vno testimonio habitis omnibus) rem ita vere esse gestam, vi narrant, vterius dubitare, nefas esset.

## §. XVII.

Quum autem ad rem testimonio probandam non sufficiat, De probabilitate illud fide dignum euincas, sed requiratur etiam, vt extra tatis hermen. dubium ponas sensum, quem testimonio tribuis, non a fine et regulis intentione auctoris discedere, seu falsum esse §. XIII.; accedat priori illi cautioni oportet altera non leuioris momenti, vt testimoniiorum in primis in litteras relatorum, genuina interpretatione narratio nitatur. Sicut enim veritati parum prospiceres, si narratio tua testibus ceteroquin fide dignis non destituatur; ex verbis autem per falsam interpretationem, contraria iis, quae autores senserunt, probare velles: ita et circumspectionis est, qua ratione verus sensus regulis, vt aiunt, probabilitatis hermeneuticae

18 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

cae, quae a quibusdam in scripto auctoris obuiis e. g. scriptoris sine, posita connexione, verborum significatione et id genus aliis circumstantiis, ad sensum eiusdem concludit, erui debeat, inquire. Sensum auctoris vocamus seriem representationum, quam hic quidem verbis, in animis aliorum vult producere. Verum autem sensum auctoris esse qui dicimur, si cum verbis eiusdem non alias coniungimus notiones, quam ipse auctor iunxit: consequenter omnis res eo reddit, vt (1) linguae auctoris, qua usus erat, propriae notitiam habeas, cum interpretum haud tuta satis fides sit; (2) in circumstantiis auctoris, vt aiunt, historie deregendis elabores e. gr. sectam, aetatem, patriam, scopum &c. cuiusque, si fieri poterit, consideres; (3) integrum sermonem, aut librum in suas sectiones, singulasque partes in se inueni distinguis; (4) contextus rationem habeas; (5) inde finem dicentis specialiorem determines; (6) quo factò quis inde verus sensus fluat, dispicias, qui tamen eo usque tantum pro probabili est habendus, dum plures rationes determinantes accedant; (7) in figendis terminorum notionibus, auctoris notiones, vt aiunt, domesticas sequaris et velut tuarum opinionum oblitus quaeras, quid ille senserit, non quid sentire debuisse, vt saperet, sicuti *Clericus* in arte critica monet; (8) locos parallelos adhibeas; (9) sensum proprium impropi, benigniore, duriori, nisi rationes sat graues poscant contrarium, präferas.

§. XVIII.

Qualem itaque poscat sibi circumspectio haeresiologica narrationem inde colligere facili negotio quisque potest. Quo igitur accuratius iisdem regulis convenire narrationem tuam senties, quo magis de testibus sufficientibus sollicitus §. XIII. ea quae ab ipsis sectarum membris et ex singulorum cognoscuntur confessionibus publicis §. XV. adhibita genuina semper interpretatione §. XVII omnibus aliis relationibus prästuleris: eo maiorem circumspectio laudem tibi ipsi vindicabis. Sed quaeris, utrum requirat eadem etiam haec circumspectio ut testimoniis tuorum, singulis narrationibus mentionem adiicias? Diuersimode hic respond.

DE CIRCUMSPECTIONE HAERESIOLOGICA. 19

spondendum esse iudicamus. Narrationibus enim tuis, vel res continentur de quibus nemo, cui sapere hac in re datum est, dubitat, vel etiam quarum adhuc sub iudice lis est. Pone igitur prius, facile videbis admodum esse superuacaneum operosa testimoniū citationē ea confirmare velle, quae nemo vñquam in dubium vocavit. Si e. g. *Arii* errores enarratus omnium scriptorum fidem testatus fueris, vt extitisse quendam *Arium* probare possis, actum agere velle omnibus videreris. Nemo enim, nisi qui auribus suis historiae ecclesiasticae ne nomen quidem usurpauit, repugnat. Longa alia res esset e diuersa parte, si rem maximi momenti paucorum admodum fide nixam, seu negatam penitus, exponeres. Hic sane maiori iure allegandi testes, prouocandum ad probabilitatem testimonii eorum, negantes contra fidei admodum suspectae esse euincendum tibi esset. Neque tamen hic citationibus citationes cumulandae, et quae ne ipse quidem disquisiuiti nominanda sunt; quorum scilicet falsam deinde et non satis circumspectam adductionem cautus lector non sine molestia sentiet. Melius itaque in Haeresiologia de *Ario*, operam tuam collocares, si in enarrando infelici mortis genere quo defunctum illum esse ferunt, eiusmodi scriptores nominare posset qui miserandum vitae exitum commemorant; quosque non scripsisse in gratiam *Athanasi*, aut ex eius solius relatione, neutramque in partem propensiōres fuisse probares.

s. XIX.

Qua igitur circumspēctione duce incedere coepisti via, ea Reg. II. dem pergere nunc iubet altera regula, quae ut cohaereat quoque narratio poscit. Coheret autem narratio, nexus, qui inter singulas eius partes intercedit, ita comparato, vt ex una concipi satis possit altera. Distinguimus itaque ipsa hac cohaerentia, historiam stricte sic dictam, a quacunque alia vulgari relatione. Posset enim narratio tua, ceteroquin vera esse, posset quoque testimoniis nisi non insufficientibus; deficiente tamen nexus legitimo, vbi quae forte successerunt, antegressis praeposueris, improbatum non solum, veram tuam relationem efficeres, sed

C 2

fidem



20 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

fidem quoque tuam, mediis alioquin idoneis, male tamen hic adhibitis, perderes. Quod cum confusam et ab ipsa re, uti facta est, longe diuersam narrationem efficeret, circumspetionis igitur legibus §. V. contrariam; inde huius quoque regulae necessitas patebit. Referimus autem duo potissimum ad huius regulae iustum exercitium; Quorum primum ad circumstantias, atque narrationem in genere, alterum ad dogmatum cohaerentiam efficiendam spectant. Positum autem primum in eo est, ut narratio tua non tantum rerum gestarum partem mancam saepius, ac mutilam, disrupta antecedentium et consequentium serie complectatur: sed omnia potius eo ordine exponat, quo vel praegressa reliquis, eorundem occasionem et rationem in se continent, vel insequuta veluti fines in praegressis sufficenter fundantur. Poteris tamen huius ordinis diuersimode rationem habere. Commemorari enim ita res possunt, ut vel tempus maxime ordinem determinet, i. e. ordine historicorum naturali, seu chronologico, praferendo tamen omnibus aliis: vel eiusdem rationem determinantem, ex ipsis circumstantiis §. X. vel aliunde etiam, pro finis in quacunque haeresiologia ratione, desumere posses. Non deesset itaque haeresiologiae tuaeordo, si singulorum errorum expositiones ita sese inuicem exciperent, ut primum occasionem, deinde auctorem, tum dogmatam, praeterea propagationem, affectas deinde et aduersarios tibi describendos proposuisses; omnium tamen optime, ita in hoc negotio procederes, ut nullum momentorum iam dictorum praetereas, tempus tamen maxime sequaris. Alterum autem et quod caput rei est, requirit, ut in dogmatibus potissimum sectarum recensendi, nexus quo inter se connectuntur pariter, atque cum aliis veritatibus, quam fieri poterit rite obseruato, integrum et veram systematis characteristici delineationem fistas. Siquidem neque in erroris confutatione ferendum esset, si argumentorum rigore imminuto, errorem prout tibi placeret forsitan, refutandum sumeres, consectariaque consectarii cumulando, aliorum dogmata extra nexum, proponeres: multo autem minus

nus danda haec venia Haeresiologo, ut systemata sectarum quo-  
cunque alio modo atque reuera sunt, confessionibusque publi-  
cis consignata leguntur §. IX, enumeret. Quo igitur melius  
prioris regulae ope, omnium dogmatum verum sensum asse-  
quutus fueris; quo accuratius, tum definitionum, tum theore-  
matum, eorundemque demonstrationum ex mente sectarum ra-  
tionem habueris; eo maiorem Haeresiologiae cohaerentiam  
conciliabis.

Aperta satis in vetustioribus Haeresiologiis neglectae huius regulae  
incommoda sentimus. Nihil ibi nexus in errorum enarratione inueni-  
mus. Inde adeo absurdum habemus de haereticis figura. *Montanum*  
v. g. nonnulli spiritum sanctum esse esse, iactant aiunt. Quod au-  
tem aliquantisper dogma hoc in nexus cum aliis consideraueris, longe  
aliam fuisse Montani sententiam videbis. Quo ille enim fesse et auxilia-  
trices suas *Maximillam* et *Priscillam* diuinitus agi et inspirari alii per-  
suaderet, periodum paracleti instare atque aperiri perhibuit conf. Baron.  
Annal. ad annum Christi CLXXII. Ittig de Haerel. Sect. II. c. XIII;  
semperfum autem esse spiritum sanctum neque ipse, neque assecles vu-  
quam professi fuerant.

### §. XX.

Restaret ut de sufficientia narrationis ageremus §. XI. Cum Consect. I.  
autem illa non nisi ex fine quem sibi meti propositus quisque,  
legibusque iustae narrationis methodi in genere dijudicari que-  
at, quas tamen nemo hic forte desiderabit; praeterea quoque  
ex obiecto haeresiologiae §. VIII, IX, X, ipsae regulae narra-  
tionis facile pateant, eandem nunc nobis tacere licet. Iuu-  
bit potius unum atque alterum Haeresiologi officium specialibus,  
cum ex antea dictis veluti consecratio fluant, breuibus indicaf-  
fe. Consect. I. E. fugienda credulitas et scepticismus. Credu-  
lus autem nobis est, qui assensum dubio aut improbabili testi-  
monio perhibet. Quoniam autem in explicanda prima regula  
§. XII. seqq. quara ratione probabile testimonium discrepet ab im-  
probabili, data opera demonstratum iuerimus, circumspectio-  
nis autem sit hocce discrimen non negligere §§. cit; credulita-  
ti in Haeresiologia locum concedere nequimus. Pariautem modo  
cum scepticismo comparatum est, fidem ex altera extrema parte,

## 22 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

certo et probabili testimonio denegante. Neque tamen omnem fluctuationem, seu assensus sui precipitati retentionem scepticis-  
mum nominamus. Probe scimus eandem suis limitibus certis-  
que rationibus circumscriptam, vitii loco poni non posse; se-  
dulo tamen caendum ne forte in scepticismum emergat. Prioris generis Haeresiologus *Philastrius* omnino fere consensu fuit:  
vbi tamen ille omnium iam satis censuram expertus sit, nobis iam parcere Episcopo, et credulitatis veniam dare licebit. Quod autem ad alterum pertinet, cum Haeresiologorum nullum tam commode nominare possimus, quippe qui credulitati magis quam scepticismo indulgere solent: non praeterire volumus, quae de celeberrimo illo gallo, quem scepticismum affectasse ferunt, *P. BAYLIO*, referente *Clerico in Biblioth. Choisi. Tom. XXV.* legimus.  
*On m'a assuré (inquit) que feu Mr. Bayle qui tachoit d'introduire de nouveau le Pyrrhonisme Metaphysique et Historique dans le monde: après avoir appris que l'Électeur de Bavière et le Marechal de Tallard avoient été désfaits, le 12. d'Aout 1704. près de Hochstedt par le prince Eugene de Savoie et le Duc de Marlborough, entreprit, quoique cette victoire fut atteinte de tous cotés, et qu'il eût parlé à des témoins oculaires, de prouver par une Dissertation, dont on a trouvé après sa mort le commencement dans ses papiers; que les Francois n'avoient point été battus etc. Adeo saepe ridiculum est, scepticum agere velle, eaque negare aut in dubium vocare quae testimoniis satis fide dignis nituntur.*

## §. XXI.

Consecr. II.

*E. etiam consequariis errorum, errantes onerandi non sunt: nisi tum veritati §. XII, tum etiam cohaerentiae narrationis dog-  
matum, consequariis nostris non commiscendorum §. XVIII,  
consequenter ipsi circumspectioni Haeresiologicae contrariari  
velis. Quibus enim argumentis errantes istorum consequario-  
rum rationem habuisse, aut omnino non ignorasse euictum da-  
bis? Quid autem dicendum de iis, qui non solum ex erroribus  
cum aliquo systemate per consequaria connexis argumentum ca-  
piunt; sed etiam male illud cohaerens publicae doctrinae syste-*

*ma,*

ma, clandestino Iudibrio exigitant, eiusque hiatus rident? Vtrisque sane venia haec concedenda non est, vt de re, quam forte nunquam probabunt, magni tamen momenti, temere aut nefarie statuant. Interim tamen viri laude sua ceteroquin non priuandi, ab huius vitii turpitudine vix cauere sibi satis potuerunt. Ipse nobis AVGYSTINVS cum MANICHAEV M Spiritum S. negasse incusaret, consequentiarum egisse videtur. Quali enim argumento accusationem probat? scripserat MANICHAEV in Epistola ad MARCELLVM sequentem in modum: MANICHAEV Apostolus Iesu Christi, omnes sancti et virgines quae mecum sunt, Marcellio filio delecto, gratiam, clementiam, et pacem a Deo patre et Domino nostro Iesu Christo; inde arripuit ille accusacionis probationem: quod quidem, si certae probationis loco esse posset, qua ratione ipsos Apostolos saepius iisdem verbis sine expressa spiritus sancti mentione vlos, excusabit?

## §. XXII.

*E. denominations non nisi lubricum fundamentum praestant Consecr. III.  
perspicendi errores.* Quodsi enim confessionum tantum publicarum §. VIII, aut saltem quae sufficientibus testibus nituntur testimoniorum vlus in cognoscendis dogmatibus est; denominationibus certe sectarum nihil tribui iure potest, quae quidem admodum saepe etiam diuersae rationis, interdum ab aduersariis etiam sectis impositae sunt. Quam religiosi essent qui seculo quarto inclarerunt egregio nomine abutentes Euchitae? neque tamen minus multorum Conciliorum auctoritate damnata ipsorum impietas est. Epiphanius noster interdum etiam anilium rerum deliramenta nobis obtrudere, neglecta hacce regula solet. In Panario haeres. 74, sectam nobis nominat, quam Artotyritarum vocat, nomine ex lugos caseus, et aglos panis composito. Quis autem aequo ferat animo, cum inde argumentum capit, quo eosdem in coena s., caseo et pane vlos esse probare satagit: cuius incusationis ansam oblationes sacrae forte, inter quas eiusmodi cibos interdum apposuerant, praebuisse videntur.

## §. XXIII.

## §. XXIII.

Consect. IV.

*E. tum temporis, mutationumque sectarum, tum membrorum diuersorum discrimen negligendum non est §. XVIII. Haud contemnenda huius regulae iollicta cura, cum saepius id euenire soleat, ut individuorum dogmatibus sectis ipsis tributis, eas inde vel incusandas, vel liberandas erroris nota iudicent. Aliis quoque ea, quae antiquissimorum sectae conditorum vel virtus, vel flagitium erat, posteris temere adscribentibus perinde esse videatur quae nunc et quae multis abhinc seculis facta sunt. Parum autem circumspetè agunt. Valentianorum sectae id in primis contigisse nouimus. Quare circumspetum Haeresiologum tot horrendorum flagitorum, quie toti huic sectae imputantur plerumque, cum tamen Secundianorum maxime fuerint, omnes reos agere dedecet. Teste enim Tertull. adu. Valent. c. XXXVIII. Philastr. Haeres. XL. Auct. Pradestinati edit. Sirmondi de Haeres. c. CXII. Augustino in libr. de Haeres. Secundiani a Valentianis distare dicuntur quod addant opera turpitudinis, consequenter non uno eodemque loco omnes Valentianos habendos esse patet. Aut denique non in sectas identidem vias cedere mutationes putas? sed vbi terrarum sunt nunc, quos adeo olim timebat ecclesia haereticos? Hieronymus suo tempore Arianos omnes aedes sacras haeretica doctrina impleuisse conqueritur. Paulo autem post, eosdem exturbatos sedibus suis atque eiectos cernimus.*

## §. XXIV.

Consect. V.

*E. in neutram partem singendum quidquam ut meliores deterioresue reddantur errores. Qualis enim remaneret tandem veritas, qualis cohaerentia §. XII. §. XIX. Non sectarum amplius, sed ipsis animi tui commenta haberemus. Neque de ipsis bene mereberis sectis, tuis adiectionibus dogmata quibus illae ad veritatem nihil deesse credunt, confundens; alios autem quos grauiores errores fouisse effingis, haud leuiter laedes. Est quidem non omnibus de quibus hic loquimur una eademque mala intentio. Sunt certe quibus odium, quibus partium*

partium studium, quibus denique alia, incauti consilii occasio-  
nem dederunt. De aliis autem ista affirmare nolumus. Illi  
enim potius cum rem, quam ferre humeri recusant in se suscep-  
perint, ne omnino nihil dixisse videantur, fictionibus indul-  
gere magis, quam ignorantiam profiteri malunt. Satis tamen  
imprudentes et hi quoque offendunt circumspetionem; quae  
nemini interdictum vult, ne quis vel difficultatibus §. VI. vel  
aliis forte impeditus in scrutanda sectarum historia, ignoran-  
tiam potius profiteatur suam, quam veritatem ipsam negligat.  
vid. *vener. Praef. Auszug der Kirchengesch.* §. 82. p. 381. seqq.

## §. XXV.

Absoluto nunc priore, quem imperabamus nobis, labore Pars Haeresiol.  
§. VII., altera nunc circumspetionis haeresiologicae pars, quae II. dijudicatio.  
diudicationem spectat §. III. disputanda erit. Mirifice enim  
circumspetionis leges migraret, qui satis tutum sibi esse præsi-  
dium in veterum Haeresiologorum ita dictis catalogis Haereti-  
corum ratus, ipsum singulorum errorum examen negligeret.  
Soler nimirum plerumque id fieri: ubi ad Irenaeum, Hierony-  
mum, Epiphanium, Philastrium, Augustinum, Theodoreum et sex-  
centos alios in enarrando errore prouocaueris, omnibus nu-  
meris absolutam esse Haeresiologiam, persuassimum tibi ha-  
beas. Verum enim vero, ut maxime erroribus aperte omnia  
esse præiudicia nosti, siquidem ex præcipitania fere semper  
profiscantur; ita non minor quoque circumspetionis ha-  
eresiol. virtus est, quam in diudicatione æque ac narratione,  
quidnam ad finem hunc faciat, quidque non, debito deliberandi  
habitui studere §. V. III. Quare etiam non nobis nunc sufficiat  
errorum narrationem exposuisse: sed iudicandum potius, qua-  
lem in iudicandis erroribus te esse velit circumspetio.

## §. XXVI.

Diadicatur autem dogmata, eorundem vel veritatem, Quid sit diu-  
vel falsitatem, (hic quidem intrinsecam, extrinsecam in narratio. dicatio-  
ne ventilanda) tibi repraesentas, vt alterutrum de iisdem affir-

D

mare,

## 26 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

mare, vel negare quæas. E. adesse debet principium, vnde ista tua cognitio dependeat, cognoscendi, idque vel, si errorem qua formam species, extensionis, vel si gradus falsitatis respicis, intentionis seu momenti. Iam veritates reuelatae in S. S. de Deo et nostra cum ipso coniunctione, principium tum cognoscendi, tum diiudicandi veritates erroresque sunt §. II. et per princ. Theol. Dogmat. et Polem: E. ex relatione ad easdem, tam diiudicandum quid sit error, quidue non, quam etiam quale momentum quisque error trahat.

Veluti ille boni medici partes aegre sustineret, qui quidem omnes morbos certe non commodorum, sed malorum omnino loco esse ponendos sciret; singulos tamen, ex gravitate periculi aestimare, dignamque malis medicinam serre nollet: ita ciuitatis Christianae doctorem maxime dedecet, non defuisse ecclesiae errores, neque nunc quoque deesse probe intelligere; id autem negotii sibi inprinuis datum esse, vt ipse sententias erroneas perscrutatas, obuiam iisdem procedat, ignorare.

## §. XXVII.

Reg. I.

Atque hic præ ceteris cum in eo plurimi partibus suis deesse soleant, vt ad errores referre non dubient quæ tamen eo non pertinent, aut excludant etiam, quæ eo referenda iure suo sunt; prima inde nobis proficiuntur regula, nihil scilicet ad errores referas, quam quod eo pertinet, neque excludas quod eo referendum omnino est. Pone enim contrarium, Haeresiologia tua, contineret, vel dogmata sectarum, falso pro erroribus habitas; vel, saltem essent eiusmodi generis, quæ non magis cum erroribus theologicis confundi debent, quam sacra cum profanis; vel denique errores theologicos sectarum pro indubius veritatis venditares; atque adeo ab Haeresiologia excluderes. E. præcipitanter ageres, circumspectionemque haeresiol. laederes §. IV. V. inde itaque huius regulæ ratio satis superque patebit.

## §. XXVIII.

Explicatur.

Quare vt ordine hic procedamus, regulam membris suis diversam singulatim explicabimus. Primum autem in eo consistit,

DE CIRCVMSPCTIONE HAERESIOLOGICA. 27

sistit, vt ad errores nihil referas, quam quod eo omnino iure pertinet. Remittimus hic lectorem ad ea quae §. §. praeccidentibus diximus, cum de narrationis in Haeresiologia obiecto ageremus: inde enim pariter atque ex ipsa erroris ratione qualia esse debant, quae ad errores in Haeresiologia referas, facile erit intellectu. Errorum enim quidquid veritati opponitur, eidemque contradicit, nominamus: consequenter errores Theologici veritatibus maxime reuelatis de Deo, et nostra cum ipsa coniunctione, repugnare debent §. II. Quidquid autem e diuersa parte, vel omnino non, vel tantum appareret, iisdem veritatibus opponitur, neque est error theologicus, neque ad errores theologicos grauiores, i. e. haereses referri potest. Aequae autem grauius circumspetionem haeresiol. violares, si in alterum probabens extrellum, sciens volensque eas ab erroribus excluderes sententias, quae tamē his ita fere sunt similes vt ouum ouo. Vti igitur hic dissensus sententiarum a veritatibus reuelatis negari nequit, neque etiam illis appareret contradictant; eiusmodi errorum rationem habeat circumspetum Haeresiologum oportet.

Labortis hisce natus plurimae, quas hucusque vidit litteratorum orbis Haeresiologie. Nonnullis veluti grauissimorum errorum mentionem facere placuit, quae saepius iisdem verbis in s. literis leguntur. Quodlibet igitur ad hoc praecuditum, vt olim centies factum esse nouimus, accedit spiritus persecutio, vt cum *Damhauero* loquar, tot sanctissimos homines, testiumque veritatis ceteras, sub haereticorum nomine crudelissimi encata esse, admirandum non est. Alii contra velut mercede conducti videntur, qui canularum patronos in Haeresiologiis agerent. Habet plerumque illud vitii hoc genus, vt nobis errorum ita bene medicatam faciem sifstant, vt imprudentiores, non nisi omnia magna de iisdem sentiant. Surget hic nobis ingens exemplorum series, si ea quae his nostris maxime temporibus gesta sunt, libero ore proferre vellemus; Si enim horum virorum iudicio flatuendum esset, nemo forte nunc superest qui adeo sancte, adeo innocenter vitam viueret, quam celeberrimi haeretici *Manichaeus*, *Pelagius*, alii.

§. XXIX.

Male autem ille haec interpretaretur, qui omnes nos uno Reg. II.

D 2

loco



## 28 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

loco ponere errores inde concluderet. Non ignoramus certe, diuersissimum esse errorum genus. Dantur scilicet errorum gradus, quos respicere altera iubet regula, i. e. *momentum erroris constituitur.* Quodsi enim cognitio tua errorum in Haeresiologia obuiorum §. III, sufficiens esse debet §. IV, si praeципitaniam evitare oportet; discriminis etiam errorum rationem habeas ne- cesse est. Duplicis autem generis illud esse solet. Aut enim est externum, aut etiam internum. Quatenus momentum re- spicis externum inquirendum tibi est, num late error pateat, numne angustis limitibus circumscribatur, i. e. maior minorue affectatum numerus ponderandus est. Ingenti igitur membro- rum numero conspicua secta; error, quem quidem illa fouer, ma- ioris momenti esse iudicatur, quam quem pauciores amplectun- tur. Neque tamen hic negligenda illa cautio est, ut ne sectas fundamentalibus doctrinis apprime inter se conuenientes, vbi in minus fundamentalibus inter se dissentiant, aut diuersis utrantur nominibus, pro re ipsa diversis habeas. Hoc enim modo sectarum numerus a multis augetur praeter necessitatem; momentum vero externum imminuitur. Quod autem momentum erroris internum efficit, relatio eiusdem est, ad veritates reuelatas funda- mentales seu ordinem salutis; vel ad veritates minus fundamen- tales cultumque Dei exterum. Error itaque fundamentum sa- lutis seu doctrinas de Christo, vel etiam alios articulos funda- mentales immediate euertens, maius momentum trahere dicitur, quam qui mediate i. e. per consequencias in eiusmodi doctrinas insuit; aut tantum veritatis minus fundamentalibus opposi- tus est.

Non nunquam etiam ex momento, quod trahit error externo, momen- tum quoque determinare poteris internum. Non caret tamen suis haec regula exceptionibus, atque ideo vniuersalis esse nequit. Sumamus igitur *Arianorum* errorem articulum de Christo grauior offendentem: si com- paraueris cum falso dogmate *Apollinaristarum*, qui eodem etiam feculo in- terfuerunt, hi etiam veritatem quidem de Christo, lenius tamen errore attingunt, momentum igitur internum minus sicut accedit autem ad *Aria-* *norum* errore momentum etiam externum, cum illos numero maiores *Apollinaristis* suisse Historiae Ecclesiasticae monumenta loquantur.

§. XXX.

DE CIRCUMSPECTIONE HAERESIOLOGICA. 29

§. XXX.

*E. non possunt singula haereticarum sectarum membra pro Consect. I.  
haereticis haberri, circumspetionique non contradicit excusare ho-  
mines, sine excusatione tamen errorum. Etenim non omnem  
errorum, si vel maxime fundamentum credendi attingat, haeresin  
statim dicere fas est circumspetio Haeresiologo; dijudicare enim  
rite debet utrum obstinata grauiorum errorum §. XXIX defensio  
accesserit, nulla habita persuasionis in contrariam partem ratione.  
Atqui vix decimus quisque ex errantium numero, amore erga sa-  
cra haereditaria ductus, animaduersa erroris sui grauitate, eun-  
dem nihilominus sectabitur. Nunquam itaque in dijudicanda  
secta singulis membris inurenda haereseos nota est, dum ple-  
riique vel bona fide, vel incogitanter errent. Praeterea Haere-  
siologia tantum sibi non sumit, vt erroribus sectarum confide-  
ratis de ipsis hominibus statuat; relinquendum hoc summo po-  
tius animorum scrutatori Deo, qui sibi saepius in Ecclesiis perni-  
ciosis erroribus infectis suos seruat, mirabilique ad salutem mo-  
do perducit. Consequenter semper obseruandum discriminem,  
vbi aliquid de errore absolute, in se, et obiective considerato:  
sive de errore subiective, et relativie, i. e. de errantibus pro-  
nuntias.*

§. XXXI.

*E. in diiudicatione notionum magis quam terminorum ra- Consect. II.  
tio habenda est. Quid si enim ad errores, nihil pertinere debet  
nisi quod iure eo referri potest §. XXVII, si momentum quoque  
legitime constituendum, quod ipsis erroribus, nunquam autem ter-  
minus innuitur §. XXIX; illi soli pro ratione determinante erroris  
haberi nequeunt. Ut taceam igitur dogmatibus ipsis, termino-  
rum non satis accurata adhibitione non parum detrimenti acce-  
dere: ambiguis saepe quibusdam terminis, qui veri speciem praes-  
seferunt, grauioris momenti error continetur. Exemplum no-  
bis IO. MVSÆVS Theolog. Ienens. suppeditabit. Commemora-  
tam enim ab illo accepimus Pelagium lubentissime orthodoxis  
concessisse, necessariam esse gratiam diuinam ad hominis conuer-  
tione D. 3 sionem.*

## 30 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

sionem, Intellexereat autem nihil aliud per gratiae Dei, et spiritus s., illuminationisque terminos, nisi quod Deus homini in S.S. ea proponat, quae agenda quaeque omittenda sunt. Saluis itaque his terminis affirmavit grauissimum errorem, hominem scilicet ea cognoscere credere, fideque accipere posse quae ex SS. intellexit, neque minus in viribus ipsius naturalibus positum esse, ut a peccatis recedat et ad frugem meliorem redeat.

### §. XXXII.

Consect. III.

Neque tamen temere controuersiae pro logomachiis habendae sunt. Oritur enim logomachia si in impugnata propositione vtrique dissidentes in notionibus conueniunt, verbis autem inter se pugnant. In quacunque igitur propositione reuera dissensus a S.S. deprehenditur, cum erroris nomine illa merito suo veniat §. XXVIII; pro logomachia haberi nequit. Interim tamen logomachiam errori forte occasionem dedisse non negabimus. Vbi enim disputantes acrius terminis instare, a veritate magis atque magis recedere coeperint, controuersia vera facili negotio oritur. Iamiam idem, de Nestorianismo, Euagrius seculi VI. scriptor commemoravit. Terminis enim Θεολογιας et ανθρωποτονιας quos Nestorius Mariae tribuere noluit, denominationem χριστους substituens, originem suam admodum deinde vexata controuersia debuit. Tantum enim absuit, ut Christi inde gloriam defenserent, ut potius aemulationi contentionibusque indulsisse Nestorius aequa, ac qui eum maxime aggressus est Cyrilus videantur.

### §. XXXIII.

Consect. IV.

Fugiendus est indifferentismus et Haeresiopoeia; cum vtrumque ex neglecta circumspectione vitium in diiudicatione erroris contrahat. §. XXVII. XXVIII. Sumitur autem indifferentismus dupli potissimum significatu. Aut enim omne discrimen inter quascunque religiones tollit, indifferentismus universalis: aut etiam rejicit quidem religionem quae revelationi in S.S. facta non nititur, negat autem discrimen inter secta christianas intercedere; particularis. Haeresiopoeia autem seu zelus coecus ex altero errore, habitus est quascunque errantes pro haereticis habendi. Quantum igitur haec peccare solet in excessu

cessu tantum ille in defectu, non sine circumspetionis haeresiologicae detimento. Ut taceamus enim de prioris generis indifferentistis vniuersalibus, qui certe cum atheis, aut naturalistis, aut scepticis plane consentirunt; errorum momento rite in haeresiologia constituto, facile videbis perinde non esse cuiusnam sectae inter eas quas orbis souerchristianus placita amplectaris. Rhetorianorum in veteri ecclesia haec fuisse sententia videtur, quorum errorem mirabilis nouitatis *Augustinus* dicit, quippe qui omnes haereticos recte ambulare et vera dicere adfirmet. Neque tamen nostris temporibus defuisse eiusmodi homines qui tam laxo, ea, quae credita sunt necessaria, ambitu circumscripti sunt: praeter alios *Petrus Iurieu* in libro gallici idiomatis cui titulus *Religio latitudinarii* copiose hoc commonstratum iuit. Haeresiopoeiae autem vberiori explicatione hic nunc eo magis superfedere poterimus, quo fusiis circumspetionem cui illa re diametro opposita est, disputauimus. Operac tamen pretium erit, cum iis quae hucusque diximus ea conferre, quae *Ioannes Fechtius* in scrutinio profigatae ex ecclesia haereticationis ut vocant, indifferentistis hodiernis opposito Rostoch. 1714. in 4to satis erudite exposuit.

### §. XXXIV.

*E in diiudicationis errorum habenda ratio est consecutariorum.* Consect. V.  
 Sicut enim §. XXI. consecutaris errorum errantes onerandos non esse affirmauimus, scilicet qua narrationem errorum: ita in diiudicatione tantum abest ut circumspetionem laedas habito ad consecataria respectu, vt potius sine iisdem momentum legitime constituere plane nequeas. Nolumus hic praeterire quae *S. V. Praeses*, in doctissime scripto libro *Theol. Bedencken IIIte Sammlung p. 236* de horum consecutariorum vsu docet. Weil die Richtigkeit und Nothwendigkeit mancher sowol einzeln Redensarten und Ausdrucke auch dadurch bezeichneter Begriffe, als ganzer Lehrfaetze, auch der Verwerfung ihres widerfsprechenden Gegenthels, ingleichen die Erheblichkeit und das Gewicht mancher sonst überflüssig scheinenden Einschraenkungen eines genau bestimmten Lehrbegriffs auf solcher Untersuchung ihres Zu-

fam-

## 32 DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

sammenhangs und Einflusses mit und in andere unstreitigere Warheiten beruhet: so kann die Erwiegung solcher Folgerungen zwvar in Streitigkeit, und bey Prufung verschiedener Meinungen nicht vermieden werden; - - Weil aber Gegner oft an dergleichen Folgerungen im geringsten nicht gedacht, vielmehr sich den Zusammenhang mehrerer Warheiten anders vorgestellt haben, auch nicht allezeit die Richtigkeit und Nothwendigkeit solcher Folgerungen einsehen, oder sie durch manche angenommene Unterscheidungen und Ergänzungssätze ihres Lehrbegriffs binlanglich abzulehnen vermeinen: so würde es unverantwortlich seyn, wenn man alle solche Folgerungen für derselben Meinung angeben wolle, sollte man auch von ihrer Richtigkeit und Nothwendigkeit noch so unvordersprechlich überzeugt seyn.

## §. XXXV.

## Consect. VI.

*Tolerantia ciuilis, et moderatio theologica cum syncretismo confundi non debent.* Tolerantia autem ciuilis eodem imperio ciuili diuersa in sacris sentientes coniungit. Moderatio deinde theologica habitu de omnibus sectis pro ratione discriminis inter se, iudicandi absolvitur. Syncretismum denique habitum vocant quosdam in fundamento fidei errantes in communione ecclesiasticam recipiendi. Anterioribus itaque limitibus indifferentismus religionum circumscribit Syncretismus, ipsi que notione quantum vitium contrahat prodit. Denominationis originem plerumque a cretensis repetunt, quos sepositis tantisper non autem sedatis intestinis dissidijs, externis hostibus obuiam ire consueuisse ferunt. Haud dissimili modo illi quos syncretistarum nomine insignire solent, plerisque sectis patrocinantur, exclusisque quidem socinianis et aliis qui expiationis Christi necessitatem negant, Romanae saltem atque reformatae aut omnino tantum huius ecclesiae sacris addictos, in fidei societatem recipi posse contendunt. Versatur autem in eo horum error quod nimio pacis concordiaeque studio abrepti de fundamentalibus religionis reuelatae partibus, iisdemque oppositis erroribus non satis caute iudicent maxime, contraria circumspetionis Haeresiologicae ratione. *Quid autem cum hoc, toleran-*

## DE CIRCUMSPECTIONE HAERESIOLOGICA. 33

rantiae ciuili, moderationique theologicae est? Primam enim si species, quin ciuili vnione in vna ciuitate aut republica, diuersa in sacris sentientes inter se coniungi queant, nullum est dubium. Postulat hoc non solum quae ex legibus iuris naturae cognoscitur aequitas; sed necessarium quoque interdum redundit, si quae forte accesserunt religionis pacta, quorum praestatione salus rerum publicarum continetur. Moderationem autem theologicam, tantum abesse per se patet ut vitii loco poniqueat, vt potius eandem ex mente Apostoli Rom. XIV. 1. XV. 1. Gal. VI. 1. bonum quemque sectari oporteat.

### §. XXXVI.

*Ipsum tamen pacis et unionis studium ut in vitium degenerat, si cum periculo colorandi probandique errores cohaeret §. XXXVI.; ita affectatio fugae studii partium ex eodem hoc studio profuit idque producit. Saepius nimirum eiusmodi homines occurruunt qui sese neutrī partibus studere iactitant. Multis eidem verbis, quam abominanda et indigna historico res sit animus in partes propensus, tibi commemorabunt; corrident alios quoque, et si librorum quos nobiscum communicant titulis, habebis fidem, candidissimos esse homines iudicabis. Sed vide quid intendant hisca machinationibus. Simile quid nobis agere videntur ac de pugillatoribus cernimus; qui hunc vel illum corporis locum gladio petituri, in aliū semper ictum affectant, quo alterū versutia deceptum eo tutius ferire queant. Nobis hic eorundem nequitiam exagitare non vacat. Circumspectus potius Haeresiologus quale suum sit officium inde intelligeret. Ceterum pacis et unionis studium satis laudare nequimus: modo non veritati noceat puritatique sanctioris disciplinae labem aspergat, quam quidem tam alte collocauit summum numen, vt satis venerari, colere, defendere eam vix possis. Faxit itaque ecclesiae suae caput, vt tot infelicibus compositis quae inter membra inueniuntur dissidiis, ea adpropinquare secula sentiamus, quibus omnium vnum ouile, vnum fore pastorem promisit benignissime.*

E

VIRO

VIRO MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMOQUE  
ANDR. THAL  
ECCLESIARVM DIOECSEOS PALEOBRANDEN-  
BVRGENSIS SUPERINTENDENTI,  
ATQVE AD S. GOTTHARDI AEDEM PASTORI MERITISSIMO  
SAL. PLVR. DICIT  
SIGISM. IAC. BAVMGARTEN.

**L**icet omni fere litterarum commercio, officioso saltē, dudum mihi interdictū esse probe sc̄iam non sine dolore, atque hos in primis dies, ubi mundinae Lipsienses imminent aegrumque et cumulatis infirmitatū insulib⁹ afflictū corpus trabo, vix ne cessario et indispensabili sufficiam: faciendum tamen putauī ut aliquid litterarum publice datarum a me TIBI redderetur. Ita denum existimauī redimi posse diuturnum silentium meum dilique neglecti officii respondendi ad litteras TVAS humanissimas veterisque amicitiae plenissimas, se quam TIBI, ut aliis bene multis, fecero suspicionem. Intellexi praeterea TVA aequi filiique ac mea publicaque utilitatis referre plurimi, non ignorari laudabilem studii academic⁹ decursum, quem filio non magis quam TIBI vere et ex animo gratulor; distinguique ciuitat⁹ bona spei partibus que suis rite defunctorum missionem solennem et honorificam ab aliorum non doctrina sed aere alieno factinoribusque onuslorum in patriam reddit⁹ satis illaetabilis. Ipsa denique dissertation⁹ scriptori vindicanda lectoribus que non excusanda quidem, approbanda tamen esse videtur. Ordinar ab hac rerum scribendarum parte redditurus posca ad bona verba amorisque significaciones. In optione doctrinae disputandae a filio facta et scriptio ne brevi admodum tempore finita expectationem meam superauit, ne que vel industria studiique vel modeſtiae quidquam in se desiderari passus est: quam ob rem post consiliorum societatem factumque tractationis periculum ipso soli negotium permisi conscientium, conjectumque neque retractauī neque ullis accessionibus meis locupletatum iui. Quod excusatione non indigebit apud eos, qui discrimina dissertationum academicarum librorumque pleniorum, et fines quibus illae destinantur non ignorant. In ipso autem arguento erunt forte qui circumspectionem requirent arbitriati incerti fatis et inconspicte, neque sine periculo arque veri relictive discrimine, disputari publicaque commendari circumflexionem haeresiologiam nostris temporibus, quibus nimia circumspectione plus peccatur quam excessu et abundantia feroris, verendum magis est ne specto circumspectionis et moderationis nomine onnis errorum vel grauissimorum impugnatio et necessaria indignatio pessundetur penitus et ex ciuitate sacra proscribatur, quam ut incerti homines commentis errorum sc̄iarumque fictitiarum fabulis circumueniantur. Quo verius certiusque hanc saeculi calamitatem acerbe nec tamen temere aut intus queruntur, quibus doctrinæ purioris cœlitas curiae cordigne est; eo studioſius prouidendum omnino erit, ne dissertation⁹ haec vel ab incertis lectoribus aliossum trahatur, ut velificata errorum patronis, vel incassum saltē et inconuenienter scripta esse videatur.

Dupli-

Dupliciter id obtinebitur. Primum enim tantum abest, ut dissertatione perfecta  
quisquam facile huicmodi quid cum ratione vel rationis specie significari aut  
vereri possit: ut potius cuius appariturum esse existimeris, hinc aequae ac  
oppositae malo medicinam parari obviamente procedi, satisque consuli securae  
navigacioni in anticipi huic Scyllae illiusque Charybdis transstu, neque con-  
fundi veram legitimam et necessariam circumscriptiōem cum nimia similitudine  
et efficiē moderatione circumscriptiōne simulacro et umbra, cui nemo reple  
medebitur nisi suis limitibus circumscripterit arque ab abusū vindicatam com-  
mendaverit genuinam circumscriptiōem. Deinde inculta admodum ageret et  
inconsiderat, qui suorum locorum experientia universum orbis civitatisque  
sacrae statum metiretur. Non enim ubi eadem malorum et discriminum  
facrorum conditio est. Ut alio exempla praetereramus indubium est inter pon-  
tificios, quibuscum nostrarib[us] frequens admodum res est, barbariem hanc ha-  
ereticologiam nimium quantum grassari, atque armis pugnari. Quod satis re-  
centi scripto comprobabo, ut impudentiae multis forte incredibilis visae fidem  
faciam. Edit paucos abhinc annos CASPAR PONGRACZ DE SZ. MIKLO ET O. VAK,  
S. S. Theol. Doctor, Protonotar, apollolicus, E. M. Strigoniensis, Canonicus et  
exemptae eccl[esi]e papiensis parochus, antidotum vniuersale saluberrimum ac sum-  
me necessarium contra morbos acatholicorum Hungariae ac praefertim odii  
maximenoxii pestinas inflammationes, quibus in nostrates catholicos semper ar-  
dent, ex pluribus et diuersis spiritualibus seu totidem pro salutari meditatione  
punctis, rite et copiose paratum; quod sancto STEPHANO inscribitur; atque, post  
considerationes duodecim per quam inuereendas, appendicem copiosissimam  
exhibet, quinque partes complexam, prima agit de zizaniis haereticorum collig-  
endis, secunda de legali, decretali patrio seu patriae proprio regni Hungariae per  
Deum et sanctos iuramento, tertia absolutur iterata editione historiae menda-  
cissimae et in falsae, si quid inquam, a GABRIELE PRATEOLO conscriptae tragica  
historia genuina atque primaria ac verissima horum temporum haeresiarchae  
principiū exmonachī Martini Lutheri et Lutheranorum cum sua simul damnata  
doctrina yna cum historia Calvini et Calvinianorum, quartam efficit catalogus  
seclarum horum temporum vel ex solo ipsius exmonachī Lutheri haeresiarchae  
pseudoeuangelio natarum et propagatarum, quam quinta excipit descriptio op-  
pidi Papa. Reliqua non sollicitabo, sed duplice, quem proposuit, catalogum  
seclarum Lutheranarum, incredibile monumentum haereticologicum, transcri-  
bam sine confutatione. Vnu desumitur ex LINDANI ruremundensis dubitatio,  
atque euangelicorum tres classes constituit, in prima euangelicorum seu Lute-  
ranorum classe comparent 1) Illyricani, 2) Maiorani, 3) Antinomi, 4) Mansel-  
denes, 5) Teneentes, 6) Ofiandrii, 7) Stancariani, 8) Musenlani, 9) Iulifactorii,  
10) Pfessingeri, et 11) Pastillarii; in altera semiluteranorum 1) interimitas, 2)  
adiaphoristae, 3) Interofiandriani, 4) Interozvvingiani, 5) Vbiquerii, 6) bel-  
liani, 7) heshuisti, 8) Melanchtonici, 9) Frontoes, 10) pneumatici, et 11) luter-  
papistae; in tercia antiluteranorum 1) sacramentarii, 2) Zwingiani, 3) Oeo-  
lampadiani, 4) Martyriani, 5) Bucerani, 6) Farellitae, 7) Calvinistae, 8) Bézani-  
lae, 9) Boquinii, 10) Richerii seu Marcionitae, 11) Valentiniitae, 12) Seruetia-  
ni, 13) Alascani, 14) Campanitae, 15) Hamistedti, 16) Suencteldiani, 17) Postel-  
tani, 18) Deilstae seu Trinitarii, 19) Antimariani, 20) Anabaptistae, 21) Munt-  
zerici, 22) Apostolici, 23) Nudipedes, 24) spirituales, 25) cathari, 26) tacentes,

27) Euchytae, 28) Enthusiaſtas, 29) Adamitae ſeu Adamiahni, 30) Mennonitae,  
31) Tibbae, 32) Maliapi, 33) liberi, 34) Adiaphoritae, 35) Huititae, 36) Ambro-  
fiani, 37) Angulfiniiani, 38) Melchioritae, 39) Monasterienses, 40) Clancularii,  
41) Maniſtarii, 42) Baculares, 43) ſcripturarii, 44) Ollarii, 45) Davidge-  
giani, 46) Batenburgici, 47) Pacifici, 48) paſtoricidae, 49) fanguinarii, 50)  
Aegidiani, 51) bertini, 52) quintiniſtae, 53) antichrīſtiani, 54) daemonicaci, 55)  
daemonicolas, 56) epicurei ſeu athei iſthace eſt: Martini Lutheri quinti euangeliſtae genealogia ſeu poſteritas et ſuccelio. Alter index inepitiis refertur eſt  
et multoſtor ex STAPHYLO collectus, quo iuterani in tres ordines diuiduntur  
anabaptiſtas, ſacramen[t]arios et homologiſtas ſeu confeſſionistiſtas, qui protestantes  
ecclesiſtae nuncipantur: ad primum ordinem referuntur hae clafes 1) munt-  
zerati, 2) Adamitae, 3) Stebleri, 4) Sabbatharii, 5) Clancularii, 6) Maniſtarii,  
7) daemonicaci, 8) communiahabentes, 9) condormientes, 10) ciulantēs, 11)  
georgidauidiſci, 12) mennenitae, et 13) polygamitae; ad secundum 1) ſignifi-  
catiui, 2) tropiſtae, 3) energici, 4) arrabonarii, 5) adeffarii, 6) metamorphiſtae,  
7) Ifcariotifiae, 8) neutrales ſacramen[t]arii, 9) iconoclaſtae; tertius autem in  
tres alios ordines diſp[er]titur rigidorum confeſſionistarum, quorum ſum pertinet  
1) Antinomi, 2) Samofatenie, 3) infernales, 4) infernales alii, 5) antiadaemo-  
niaci, 6) Amsdorſiani, 7) antiadiaphoritae, 8) Antofiandriini, 9) Antizuſeldi-  
iani, 10) antiſcalunianii, 11) manusimpoſitarii, 12) bisacramentalis, 13) ſacer-  
dotales, 14) inuifibilis; mollium deinde confeſſionistarum, quo referuntur 1)  
bibliſtae, 2) adiaphoritae, 3) triſacramentalis, 4) quadriſacramentalis, 5) iu-  
terocalunianii, 6) ferofiandriini, 7) maioriſtae, 8) poenitentiarii, 9) nouipela-  
giani, 10) ſyncretizantes; et extraugantum denique confeſſionistarum, qui ſunt  
1) Suerſfeldiani, 2) Oſiandriini, 3) Stancariani, 4) antiſtancariani, 5) nouipela-  
giani, 6) nouimanichei, 7) manichaei et marcionitae calunianii; hae porro  
ſectae generali appellatione his nomencleturi vulgo nuncipantur 1) hugonitae,  
2) euangelici, 3) ſacramen[t]arii, 4) ſectarii, 5) idololatras haeretic, 6) cacangeli,  
7) ſanctae, 8) falſi prophetae ſeu pseudapoltoli. Sed diuerendum eſt ab hac ex-  
ciſione redeundumque ad TE, VIR MAX. REV. cui ſilium granulor probum,  
veri rectique cupidum, natura, labore, industria, bonis litteris, et ſanctiore  
doctrina inſtruſum, qui quartum annum mihi obſequium, officium, diligen-  
tiam proficiendique ardorem probauit, quemque affidum auditorem habui  
in ſcho[lo]is dogmaticis, theologiae moralis, interpretationis vaticiniorum IOELIS  
et MALEACHI, epifolarum ad ROMANOS, COLOSSENSES et HEBRAEOS atque IACOBI,  
et ſectionum liturgicarum euangelicarum, illustrationis praecerea librorum  
ſymboliſtorum, hiftoriae ſacrae et antiquitatum christianarum, hermeneuticis  
adhae, homileticis, polemicis atque aceticis. Perpetue DEVS indulgentiſſi-  
muſ atque forrunet haec dona ſua TIBI que laeta diu aliisque proficia eſſe in-  
beat. De mea autem in TE ſiliumque voluntate ſic iudices velim, me quibus-  
cunque rebus potero, quamquam videam qui ſim et quid poſſim, ſtudio certe  
et ſuplicationibus commodis utriusque praefato futurum nullaque oppor-  
tunitatem negleſſurum ſignificandi quantum et TIBI cupiam et filio faueam.  
Ita vide in rem ciuitatis ſacrae arque de utilitate publica, familiā, noſtraque  
amicitia diu bene merere. Dedi Halae propter Salam in ac. Frideric.

d. XVIII. Sept. c. 1500 XXXXIII.

*Thi 135*


**ULB Halle**  
004 917 227

3



*m. c.*





24.  
84.

DISSE<sup>30</sup>TATIO THEOLOGICO-HISTORICA  
DE  
CIRCUMSPECTI<sup>34</sup>ONE HAERESIOLOGICA:

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,  
ATQVE DOCTISSIMO,  
**SIGISM. IACOB. BAVMGARTEN**  
S. S. THEOL. DOCT. ET. PROFESS. PVBL. ORDIN. NEC NON SEMINARII  
THEOLOG. DIRECTORE:  
PATRONO ET PRAECEPTORE, OMNI PIETATIS HONORIS  
QVE CVLTV AETATEM PROSEQVENDO,  
D. SEPT. A. C. MDCCXXXIV.  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIECIT  
HORA LOCOQVE CONSVETO,  
AVCTOR  
**IOANNES ANDREAS THAL**  
PALAEO - BRANDENBURGENSIS  
M. M. S. S. THEOL. CVLT.



HALAE MAGDEBURGICAE  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR. 1754.

